

237. *Clausula illa*, alia etiam declaratione non secuta, impugnatur, et raro locum habet.— Objicies contra alteram partem conclusionis. In concilio Tridentino, sess. 23, cap. 1. de Reform. pariter est sermo de pœna solum improprie dicta, seu tali, quæ impedit lucrum, sive acquisitionem fructuum beneficialium, prout liquet ex verbis, num. 229, relatis: ergo inde nihil probatur pro altera parte conclusionis. Resp. Quidquid sit de antecedenti, nego consequent. Nam textus ille recte adducitur, exempli gratia, ad indicandum, quod idem sit dicendum in aliis casibus, ubi lex pœnalis imponit pœnam illico incurrendam, « alia etiam declaratione non secuta; » prout hoc ipsum amplius probat cit. Extravag. *Ambitiosæ*.

238. *Extravag. Ambitiosæ, non ubique usu recepta est.*— Quia tamen dicta Extravag. *Ambitiosæ* in pluribus locis non est usu recepta quoad totum suum rigorem; pœnasque, et censuras suspensionis, atque privationis, ut notant Navarrus, c. p. 27. *Manual.* n. 149; Covarruvias, lib. II. *Var. resolut.*, cap. xvi, n. 6; Lessius, lib. II, cap. xxiv, n. 64; Herincx, disp. 5. *de Legib.* q. 2, n. 14; Pirhing, tit. *de Rebus ecclæs. non alien.* et alii. Atque etiam, ubi ipsa quoad pœnam privationis fuit usu recepta, prius debet vocari, et audiri prior possessor, antequam alius in possessionem beneficii sic vacantis, sibi que collati inducatur, c. *Licet episcopus* 28, *de Præbend.* in 6. Hinc patet paucas admodum, et vix aliquas dari leges pœnales, quæ requirunt executionem externam, seu privant ipso jure criminis bonis suis jam quæsitis, ac obtentis; et nihilominus in conscientia obligant ad subeundam ejusmodi pœnam ante omnem sententiam judicis, etiam declaratoriam. Revera enim tales leges non adeo sunt secundum naturam hominum, neque horum genio accommodatæ; quamvis rebus sic exigentibus a legislatore ferri possint.

§ XI.

DE LEGE IRRITANTE, EJUSQUE OBLIGATIONE, AC EFFECTU.

239. *Possunt lege condita irritari quidam contractus, alique actus, ut nullius sint roboris.*— Quæritur I. An, et quibus modis per leges, sive constitutiones, possint irritari contractus, electiones, alique actus? Resp. I. Certum est, quod legislator lege a se condi-

ta, pro bono communitatis, possit quosdam contractus, aliosque actus humanos ita irritare, ut nullius sint roboris ac momenti. Patet hoc imprimis ex utroque jure, hujusmodi leges, sive constitutiones quamplures continente; ut c. *Quia propter* 42. § *Aliter. de Election.* et c. *Non debet.* 8. *de Consanguinit. et affinit.* et l. *Non dubium.* C. *de Legib.* cum plurimis similibus. Accedit ratio, quia hæc potestas æque necessaria est in legislatoribus ad bonum gubernium reipublicæ, sicut potestas quidpiam prohibendi, subditosque obligandi: ut sic impiis malitiosorum machinationibus eo potentius obviari, cassatisque ipsorum perniciosis actibus proborum indemnitas, et tranquillitas reipublicæ status conservari valeat. Unde sapiens legislator, « non ad instar imperiti medici, uno collyrio, » sive obligando tantum, « omnium oculos vult curare, » can. *Necesse est*, dist. 29, « Sed quia novis morbis nova convenit antidota præparari, » c. *Cæterum de juram. caelum*, nonnunquam suadente sic bono communi, conatus et actus improborum irritare, et cassare satagit.

240. *Lex dupliciter potest irritare contractum, nimirum vel ipso jure.*— Resp. II. Generatim loquendo, dupliciter potest irritare contractum, aliumve actum, videlicet vel ipso jure, vel per sententiam judicis. Ita communis. Et quidem ipso jure censetur irritare contractum, aliumve actum, quando lex per seipsam, et non expectata sententia judicis, ipsum irritat, cassat, et annullat: uti accidit in impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus matrimonium, et nonnullis aliis, de quibus suo loco. Et actus ille, qui per ipsammet legem cassatur, seu annullatur, dicitur ipso jure, ac (quod idem sonat) ipso facto irritus, adeo ut non sit necesse expectare aliam judicis irrationem.

241. *Vel per sententiam judicis.*— Porro per sententiam judicis lex irritat contractum, aliumve actum, quando ipsum non irritat per seipsam, sed solummodo decernit ipsum per sententiam judicis esse irritandum, sive annullandum. Et hac ratione lex irritat actum non ipso jure, sed expectata et secuta primum sententia judiciali: ut est contractus venditionis, in quo intervenit deceptio ultra dimidium justipretii, L. 2. C. *de Rescind. vendit.* Item contractus ex metu gravi, atque injuste incusso celebrati, juxta Glossam in c. *Super hoc.* §. *Resignationis, de Renuntiat.*

§ XI. DE LEGE IRRITANTE, EJUSQUE OBLIGATIONE, AC EFFECTU. 155

242. *Regulæ ad dignoscendum, an lex ipso jure irritet contractum, vel per sententiam judicis.*— Cæterum ad dignoscendum, an lex ipso jure irritet contractum, aliumve actum, vel primum per sententiam judicis irritandum decernat, eadem regulæ (servata tamen proportione) deserviunt, quæ supra, num. 207 et seqq. assignatæ fuerunt ad discernendum, an lex pœnalis contineat pœnam latæ, vel ferendæ sententiæ. Unde non immerito Farinacius, part. I. *Fragment.* v. *Lex*, n. 56 et seqq. simul, et pariformiter discernendum censet, atque loquitur de pœna ipso jure imposita, et de nullitate actus ipso jure inducta, dummodo attendan proprii termini, hinc inde loquentes.

243. *Irritatio actus alia explicita, alia implicita, quid?*— Resp. III. Ulterius irritatio actus alia est implicita, alia explicita. Ita communis. Et quidem « irritatio explicita » dicitur, quæ fit verbis claris, et expressis: ut si lex dicat: Si secus fiat, omni careat robore firmitatis, c. *Decet.* § *fin. de Immunit. Eccles.*, in 6. aut irritum sit et inane, Clem. 2. *De rebus Eccles. non alien.*, cum similibus. « Irritatio implicita est, » quæ fit per verba æquivalentia: ut fit, quando certa forma præscribitur actui, sive contractui, arg. c. *Actus legitim. de Reg. jur.* in 6. et ff. eod. et alibi. Nam, quia forma dat esse rei, consequenter ea deficiente corrumpitur actus, c. *Cum dilecta.* 22. *de Rescript.* et c. *Examinata. de Confirmat. utili.* cum similibus. Quod ipsum pariter dicendum est in casu, quo lex quempiam reddit inhabilem ad agendum, eum contrahendum; prout concilium Trident., sess. 24. cap. I, *de Reformat. matrimon.*, clandestine contrahere volentes inhabilitavit ad sic contrahendum. Neque tunc actus contra legis, sive statuti formam factus, partium consensu confirmari potest, arg. c. *Si diligenti,* et ibi Felinus, num. 7. *de Foro compet.*; Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic.*, quæst. 30, n. 6; Farinacius, d. v. *Lex*, num. 182, et alii.

244. *Si lex prohibet actum, sed non irritat, tunc is est validus, sed non licitus.*— Quæritur II. Quæ sit obligatio, atque effectus legum irritantium contractus, electiones, aut alias dispositiones? Resp. I. Quando lex prohibet quidem contractum, aut aliam dispositionem, sed ipsum non infirmat, neque a judice infirmandum decernit, valet quidem contractus, tamen ita contrahens peccat; et tunc ejusmodi contractus (idem de quacumque alia dispositione a jure prohibita sen-

tiendum) dicitur esse validus, sed non licitus. Ita communis doctorum; atque liquet ex c. *Ad apostolicam.* *De Regularib.* ibi: « Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. » Sic matrimonium prohibetur celebrari tempore interdicti, vel ante trinam denuntiationem, aut cum voto simplici castitatis, et tamen, si ita contrahatur, validum est, etsi non licitum.

245. *Si lex contractum non ipso jure irritet, sed a judice irritandum decernat, valet is, donec per sententiam judicis rescindatur.*— Resp. II. Quando lex contractum non ipso jure irritat, sed a judice dumtaxat infirmandum decernit; certum insuper est eum valitum, donec per sententiam judicis rescindatur. Patet hoc ex c. *Cum jam dudum.* 81. *de Præbend.* ibi: « Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari. » Idem exemplificari potest de contractibus, transactionibus, renuntiationibus, et consimilibus actibus, per metum gravem, atque injuste incussum celebratis, qui licet regulariter sint validi, tam pro foro externo, quam conscientiæ, juxta Glossam in c. *Super hoc.* v. *Resignationis. de Renunt.* ac tenet communior doctorum, nihilominus ita suadente æquitate per sententiam judicis rescindi, atque in irritum revocari possunt et debent, per ea, quæ notantur, cap. II. et seqq. « De his, quæ vi, metusve causa fiunt. » Verum contra dicta, licet communiter recepta, urget notabilis instantia: hinc.

246. *Notabilis objectio. Et seqq.*— Objicies. Juxta regulam 64 juris in 6. « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. » Idemque habetur can. *Imperiali.* 25, quæst. 2. Neque juvat dicere talia pro infectis esse habenda, non quidem ipso jure (nisi secus exprimat), sed dumtaxat per sententiam judicalem, quæ expectanda est, et subsequi debet. Nam contra est: quia imprimis hæc responsio non salvat dicta in prima conclusionem; dum ex ipsa sequeretur matrimonium contra interdictum Ecclesiæ, vel cum voto simplici castitatis contractum, per sententiam judicalem irritari, ac pro infecto haberi posse: quod aliunde patet esse falsum. Deinde eadem responsio directe reprobat ex l. *Non dubiu.* C. *de Legib.*, ibi. « Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum qui contrahunt lege contrahere prohibente. »

Et infra : « Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, non specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est. » Et ne quis dicere valeat hoc procedere dumtaxat de jure civili, ulterius instatur, quod hæc lex fuerit canonizata in d. can. *Imperiali*. 23. quæst. 2. ubi sanctus Gregorius Papa sic inquit : « Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. »

247. *Explicatur, et concordatur cum aliis juribus.* — Ad hanc notabilem objectionem, et concordanda jura proxime allegata, quæ prima fronte possent videri sibi contraria, plures a doctoribus fuerunt excogitatae responsiones, uti videre est apud Glossam in d. reg. 64 juris in 6. et aliam Glossam in Clem. 1. §. *Inhibentes de jure patronat.* Bartholom in l. *Non dubium*, n. 4. et 5. et ibi Jasonem, n. 17 et seqq. C. de *Legib.* Layman, lib. I. tra. l. IV. cap. xvi. n. 3, et alios. Et quidem dimissis responsionibus jam num. præced. relatis, ac refutatis.

248. *Explicatur, et concordatur cum aliis juribus.* — Imprimis dici potest legem illam, *Non dubium*, procedere, quando lex prohibet substantiam actus, sive contractus : secus, si lex solum prohibeat qualitatem in aliquo actu, vel contractu. In hoc quippe casu actus contra legem factus, non est irritus ipso jure, imò valet ; arg. Auth. *Decernit jus*, juncta Glossa. §. *Sacramenti*, C. de *Receptis arbitris*, ac notat Jason, loc. cit. n. 20. post Paulum de Castro, et Farinacius, part. II, *Fragment.* §. *Lex*, n. 199. et 216. citans alios, idque exemplificans in casu, quo lex, sive statutum, mandat aliquid fieri certo modo, certo loco, aut tempore, et actus fiat alio modo, alio loco, aut tempore : tunc enim actus contra talem prohibitionem factus, non est nullus ; nisi lex, aut statutum, ulterius procedendo eundem annullaverit, vel modum illum veluti formam actus præscripserit.

249. *Explicatur, et concordatur cum aliis juribus.* — Deinde, et adhuc magis expedite, dici potest cum Bartolo, ubi supra, et Jasone, loc. cit., num. 19, ac aliis, quod dicta in l. *Non dubium*, locum habeant, quando lex stat in terminis prohibitionis. Secus, si lex prohibeat quidem, tamen postmodum ulterius procedat disponendo, quod actus valeat ; aut dando alia remedia ad actum illum infrin-

gendum. Nam tunc satis apparet, quod actus non sit ipso jure nullus, alioquin enim lex frustra dictis modis ulterius procederet ; uti contingit in contractibus, aliisque actibus ex metu gravi, atque injuste incusso celebratis, ac hujusmodi, ubi lex ad rescendum actum exspectat sententiam judicialem, sique ultro fatetur, quod actus cæteroquin prohibitus, non sit nullus ipso jure, sed primum irritandus, seu annullandus per sententiam judicis.

250. *Explicatur, et concordatur cum aliis juribus.* — Et conformiter huic magis communi responsioni concludendum, atque paucis præmissa complectendo breviter dicendum est, quod quando lex stat in terminis prohibitionis, locum habet l. *Non dubium*. At si ulterius lex procedit disponendo, quod actus valeat (ut fit in matrimonio contra interdictum Ecclesiæ, vel cum voto simplicii castitatis contracto, etc.) tunc verificatur illud, « Multa fieri prohibentur, quæ, » etc. Si autem procedat lex dando media ad infringendum actum, habebit locum altera regula, « Multa per patientiam tolerantur, quæ si, » etc. Quamquam circa hæc dignoscenda oporteat non solum attendere ad verba legis, sed etiam ad receptam hactenus consuetudinem, utpote quæ est optima legum interpret. Quinimo, quod lex illa, *Non dubium*, ob extraordinarium rigorem contraria consuetudine fuerit abrogata, testantur varii auctores, quos tacito nomine allegat Herincx, part. II. 2. disp. 5. de *Legib.* n. 34.

251. *Si lex ipso jure irritet contractus, electiones, etc., nulla istis tribuitur actio in foro externo ; imò hi jam ab initio fuerunt invalidi.* — Quæritur III. Quid juris, si lex ipso jure irritet contractus, electiones, aut alias dispositiones ? Resp. I. Loquendo in ordine ad forum externum, certum est hujusmodi actus ita civiliter annullari, ut non solum nulla eis actio in foro externo tribuatur ; sed quod ipso facto, et jam ab initio fuerint irriti, et invalidi, per judicis sententiam declarari debeant : adeo quidem ut omnes eorum effectus una cum fructibus, quos inde quis jam perceperat, penitus rescindantur, ac si nunquam ullum valorem habuissent. Ita communis doctorum, et constat ex recepta praxi, atque ipsamet potestate legislativa supremis principibus competente, qua non solum habent facultatem obligandi subditos, quidpiam eis præcipiendo, vel prohibendo ; sed etiam annullandi eorum actus, quando istud bono com-

muni expedire judicaverint. Hoc ipsum probat recepta juris utriusque praxis, quia justis de causis certi actus, seu contractus, ipso jure annullantur, et cassantur : ut patet in matrimonio cum impedimento dirimente contracto, in electione celebrata contra formam concilii generalis, in c. *Quia propter*, 42. de *Elect.* relata, et aliis hujusmodi.

252. *Quomodo nihilominus dicantur irritandi per sententiam judicialem ?* — Nec obstat, quod electio contra formam citati concilii generalis celebrata, postea primum per summum Pontificem, quandoque irritetur ; prout irritata fuit in c. *Cumana*. 50. de *Elect.* ibi : « Unde nos electiones ipsas, præsumptas etiam contra formam concilii generalis — de fratrum nostrorum consilio sententia-liter duximus irritandas : » quibus similia etiam alibi habentur. Resp. enim, hujusmodi sententiam Pontificis, vel judicis, quoad actus ipso jure nullos prolata, in effectu esse declaratoriam, quod ejusmodi actus sint, ac jam in antea fuerint ipso jure irriti, et invalidi, ac nullius roboris. Item verba illa, « Duximus irritandas, » ac similia a judice prolata, procedunt de facto, quatenus Papa, vel alius iudex, post motam de super litem per sententiam judicialem pronuntiat, et declarat tales actus laborare vitio canonico, ob quod sint censendi invalidi, ac jam ipso jure in antea irriti extiterunt.

253. *Etiam pro foro conscientie nullum habent effectum, nullamque inducunt obligationem, quando per legem plenissimum infirmantur.* — Resp. II. Loquendo in ordine ad forum conscientie, et utrum ex tali actu de jure irritato acquisitum, possit tuta conscientia retineri saltem ante sententiam judicis, distinguendum est : nam, si ejusmodi actus, sive contractus, ipso jure naturali fuit irritus, vel saltem per legem positivam plenissime infirmatus, tollendo videlicet obligationem ipsius non solum civilem, sed etiam naturalem : tunc ex hujusmodi actu, sive contractu nullus effectus, nullaque obligatio, ne quidem pro foro conscientie oritur ; adeoque inde acquisita, etiam in conscientia, et ante omnem judicis sententiam, restitui debent. Ita unanimis doctorum. Ratio est, quia actus ita plenissime infirmatus, tam quoad obligationem, civilem scilicet, quam quoad naturalem, æquiparatur actui, qui jure naturali est irritus ; sicque nullum penitus valorem habere potest, sicut nec iste habet. Antecedens patet, quia in utroque deficit omnis prorsus obligatio.

254. *Idem probatur inductione.* — Idem probatur inductione : nam sicut contractus ab infante, vel prorsus invito, aut ex errore circa actus substantiam commisso celebratus, nullius penitus est roboris ; ita etiam v. g. matrimonium cum impedimento dirimente contractum, ut puta intra gradus consanguinitatis, vel affinitatis jure ecclesiastico prohibitos, aut sine præsentia parochi et testium in loco recepti concilii Tridentini, nullius omnino est roboris, etiam in foro conscientie, et ante omnem sententiam judicis. Idem accidit in professione religiosa ante annum decimum sextum ætatis, vel unum novitiatus emissa, utpote quam concilium Tridentinum, sess. 25. cap. xv. de *Regularib.* totaliter invalidavit ; adeo ut nullam inducat obligationem, vel effectum. Et idem dicendum de similibus, ubi actum plenissime infirmari, ex verbis legis seu canonis constare potest.

255. *Secus, si non plenissime, sed civiliter tantum ipso jure infirmantur, simulque nemo se opponat : nam tunc in conscientia tutus est, qui virtute talis actus aliquid possidet.* — Resp. III. Quando contractus, aliusve actus, ipso jure civiliter tantum irritus est, sed de jure naturali subsistit, neque per legem positivam, civilem, aut ecclesiasticam, plenissime infirmatur ; tunc, si nemo sese opponat, ejusque rescissionem petat, ille in conscientia tutus est, qui virtute ipsius aliquid possidet. Ita Abbas Panormitan. in cap. 1, num. 19. de *in integr. restitut.* ubi mota questione, an qui in alienatione, cæteroquin in casu licito facta, sed ob non servatam formam ipso jure irrita, quidpiam acquisivit, tutus sit in foro animæ ? Resp. post Jo. Andream affirmative : eo quod talis contractus teneat secundum limites juris naturalis, seu gentium, cum de jure naturali, seu gentium sufficiat solus consensus.

256. *Exemplificatur hoc, ac probatur auctoritate.* — Simile quid docet Innocentius in c. *Quia propter*, de *Elect.* dicens, quod electus sit tutus in foro animæ, si electio sua (contra quam nemo se opposuit) tenuit de jure gentium, licet non fuerit servata forma a jure positivo tradita. Idem tenet Layman, in c. *Auditis*. n. 1, de *Elect.*, et lib. I. *Theolog. moral.*, tract. IV, cap. xv, num. 6, ubi hoc exemplificat de ludo alearum, de contractu cum pupillo celebrato, de testamento minus solemnibus, de poena sponsalibus adjuncta, de donatione ultra quingentos solidos, item de electione, quæ ob defectum alicujus solemnitatis jure positivo requisitæ irrita est,

et nonnullis aliis. Eandem sententiam, tanquam probabiliorē amplectitur Bannes, quæst. 62, disp. 3, p. 100. Ipsamque videri satis probabilem, spectato maxime usu, qui passim receptus est, inquit Lessius, lib. II. de Just. et jur., cap. XIX. n. 34. Cui etiam favet Herinex, part. II. disp. 5. de Legib. n. 39. Qui licet ex propria mente (sicut et Lessius num. 35.) teneat oppositam sententiam, ait tamen non deesse doctores, qui probabile existiment valere in conscientia contractus, electiones, etc. quibus deest solemnitas juris civilis, si contrahentes sint per se habiles, et adsit plenus utrinque consensus. Id ipsum Præpositus, quæst. 95, dub. 3, n. 49, ait non videri omnino improbabile: quamvis non pauci, quos citat, et sequitur Farinacius cit. §. Lex. n. 181. teneant oppositum, volentes, ex actu contra legis prohibitionem facto, nullam, ne quidem naturalem obligationem oriri.

257. *Probatur et ratione.* — Ratio conclusionis est, quia principalis effectus obligationis naturalis, et ab hac penitus inseparabilis, est quod creditori jus tribuat accipiendi, et retinendi illud, quod ipsi naturaliter debitum est, ac solvitur. Atqui in talibus actibus, qui per legem plenissime non irritantur, remanet adhuc obligatio naturalis, saltem donec hæc per sententiam judicis in foro externo rescindatur; ergo. Major patet: quia per obligationem naturalem intelligitur ea, quæ ex jure gentium per consensum oritur, arg. l. Cum amplius. ff. de Reg. jur., ibi: «Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, ejus fidem secuti sumus.»

258. *Et ratione.* — Minor vero probatur, tum quia dubitari non potest, quin legislatores ita statuere potuerint irritando videlicet tales actus, sive contractus absque debita juris solemnitate celebratos, pro solo foro externo, ac tollendo dumtaxat obligationem ipsorum civilem, remanente eorum obligatione naturali, donec hæc per sententiam judicalem elidatur; ergo stante inter doctores dubio tam rationabili, quid egerint, hoc ipsum asserendum: nam, «in obscuris minimum est sequendum,» ut habet vulgata reg. 30 juris in 6. juncta l. Semper in obscuris. ff. de Reg. jur.; tum quia hac ratione fini legis præsertim civilis, ac communi bono reipublicæ, abunde satisfacit, et consulitur; prout a simili ostendunt leges, quæ irritant actus, seu contractus, expectata, et secuta primum sententia judicis.

259. *Et ratione.* — Confirmatur hoc ulterius. Quia ejusmodi leges non nisi juxta talem moderationem fuerunt usu receptæ; ergo, quidquid sit de primæva mente legislatorum, saltem de facto non amplius obligant, nisi juxta datam moderationem: ita videlicet, ut ipso jure tollant solam obligationem civilem, relicta tamen naturali, donec hæc per sententiam judicis elidatur. Antecedens probatur ex eo, quia spectato usu, qui passim receptus est, non est consuetum inter homines, ut quis ea, quæ per ejusmodi contractus acquisivit, restituat, nisi cogatur per sententiam judicalem; quinimo durum foret, ut qui rem habet ex consensu ejus, qui poterat ipsam tradere, cogatur eam sponte reddere ob aliquam juris solemnitatem non observatam, de cujus intentione, seu modo obligandi, etiamnum lis est inter doctores. Certe leges pœnales, quæ continent pœnam latæ sententiæ, si hæc requirit externam executionem, non obligant in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis: quidni hoc ipsum dicatur de legibus irritantibus contractus? Verum majoris claritatis gratia,

260. *Solvuntur objectiones contra conclusionem. Differentia inter legem actus ipso jure irritantem, secuta sententia judicis.* — Objicies contra datam conclusionem. Stante hac sententia, sequitur nullam esse differentiam inter legem actus ipso jure irritantem, et inter legem irritantem actus, expectata et secuta primum sententia judicis: nam in utraque requiritur sententia judicis: atqui hoc est absurdum, et contra receptissimam divisionem legis irritantem actus ipso jure, et per sententiam judicis: ergo. Resp. neg. seq. maj. Nam, quando lex irritat actum dumtaxat per sententiam judicis, valet is ante hujusmodi sententiam, tam civiliter, quam naturaliter; ac proinde invaliditas ipsius primum computanda est a tempore latæ sententiæ, fructus autem antecederent percepti remanent illi, qui ex tali actu factus erat possessor illosque jam collegit. Secus dicendum in lege irritante actum ipso jure: nam actus contra eam gestus, licet naturaliter obligarit ante sententiam judicis, nunquam tamen valet civiliter: ac proin, si subsequatur sententia super nullitate ejus, hæc per fictionem juris retrotrahitur, ita ut actus ille censeatur esse, ac semper fuisse invalidus, et nullius roboris; sicque ipse non amplius prodest quoad retentionem fructuum jam perceptorum, sed hi omnes sunt resti-

tuendi: prout in simili jam supra num. 231, dictum est de differentia inter sententiam declaratoriam, et condemnatoriam judicis.

261. *Solvuntur objectiones contra conclusionem. Differentia inter legem actus ipso jure irritantem, secuta sententia judicis.* — Dices simoniace electus tenetur in foro conscientie renuntiare prælaturam, vel beneficium, ad quod electus est: ergo electio v. g. non servatis solemnitatibus juris celebrata (et idem de aliis contractibus ipso jure irritis dicendum) etiam ante sententiam judicis, nullum omnino producit effectum. Antecedens patet ex c. Mattheus. de Simoniâ, juncta Extravag. Cum detestabile, eod. ubi dicitur: «quod per electiones, postulationes — quas simoniaca contigerit labe fieri, et quæ viribus omnino careant — cuiquam jus nullatenus acquiritur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit astrictus.» Resp. neg. consequent. Nam, quod allegatur de simoniace electo, id fit ex eo, quia ibi intervenit vitium personæ ob admissum crimen simoniæ; non autem defectus alicujus dumtaxat solemnitatis a jure requiritæ, in quo casu procedit nostra conclusio. Accedit, quod electio simoniaci per jus canonicum plenissime infirmetur, prout liquet ex allatis juribus: qua de causa similiter contractus matrimonialis, cum impedimento dirimente attentatus, nullum penitus producit effectum, ne quidem naturalem obligationem, et pro foro conscientie; quia vel personæ inhabilitantur ad sic contrahendum, vel ipse contractus matrimonialis cum impedimento dirimente initus plenissime infirmatur per Ecclesiam, communi etiam sensu fidelium id agnoscente, et approbante.

262. *Solvuntur objectiones contra conclusionem. Differentia inter legem actus ipso jure irritantem, et inter legem actus irritantem secuta sententia judicis.* — Urgebis. Electus in excommunicatione non potest licite beneficium retinere, c. Pastoralis. de Cleric. excommunicat. ministrant. Idemque dicendum de electo ab excommunicatis, vel suspensis, utpote cum hi eligere non valeant, c. Cum dilectus, de Consuetud. et c. Cum inter, reg. de Election. cum concordantiis. Resp. talia procedere post sententiam a iudice latam; alias, secus esse, loquendo de foro conscientie. Et hinc ista instantia favet conclusioni nostræ, dum ipsam exemplificat.

§ XII.

DE SUBJECTO OBLIGATIONIS CONSTITUTIONUM PRÆSERTIM ECCLESIASTICARUM.

263. *Sacris canonibus, ac constitutionibus pontificiis, obligantur omnes Christi fideles.* — Quæritur I. Quinam generatim obligentur sacris canonibus, aliisque constitutionibus ecclesiasticis? Resp. I. Sacris canonibus, aliisque constitutionibus summi Pontificis; in materia spirituali, et salutem animarum, rectamque Ecclesiæ gubernationem concernente, pro toto orbe christiano latis, obligantur omnes Christi fideles. Ita unanimis catholicorum; et patet ex illo, Joan. XXI, 17, ubi Christus Dominus sancto Petro ejusque legitimis successoribus Romanis pontificibus; omnium ovium suarum curam demandavit, trina vice ei præcipiens: *Pasce oves meas.* Idem patet ex illa generali promissione eidem facta *Matth. XVI, 19. Tibi dabo claves regni cælorum et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in et in cælis:* nam sub hac generali promissione continetur etiam potestas condendi justas leges, ut sic spirituales oves Christi securius pascantur, estque uberius jam dictum supra n. 50, et 53. Hinc, cap. I. h. t. generaliter statuitur: «Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus, vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur.»

264. *Leges, et statuta inferiorum prælatorum obligant tantum subditos proprii territorii.* — Resp. II. Leges, seu statuta inferiorum prælatorum ecclesiasticorum, aliorumque superiorum, obligant solum subditos proprii sui territorii; et sic constitutiones in concilio provinciali editæ, obligant dumtaxat subditos intra talem provinciam existentes, ac statuta episcoporum obligant tantum subditos propriæ diocæcis; et sic loquendo de legibus imperialibus, intra fines S. R. imperii obligantibus, et aliis inferiorum constitutionibus respectu propriorum territoriorum. Ita communis doctorum; et ratio est, quia ad obligationem legis necessaria est jurisdictio: atqui hæc deficit, si alter non sit subditus legislatoris: ergo.

265. *Neque istis astringuntur subditi, actu non existentes intra territorium legislatoris.* — Quinimo licet aliquis cæteroquin sit subditus, actu tamen non existat intra territorium legislatoris, hoc ipso legibus particula-